



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis


In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXIII.**

19. Augusti. 14. Cal. Septemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45314**



19. Augusti. 14. Cal. Septemb.

Cōtigit  
anno  
1538.

S. THOMA, Cantuariensis Archiepiscopi: quem Henricus II. Angliæ Rex diu exagitatam, tandem per satellites suos anno 1170. ad Martyrii palmam promovit: hac verò die post 368. annos Henricus VIII. monstrum illud impietatis, dum publico edicto sacras tui corporis exuvias è sepulchro, innumeris miraculis glorioso, extrahi, & in cineres redigi iussit, geminavit coronam. Ridebas nempe stultissimam tyranni insaniam, his flammis novos tibi splendores addentem, sibi intereà fruentem rogam, quo scelestos furores æterno ardore luet, nunquam eluet. *Ad cineres tuas ego me sisto supplicem, rogans, ut animi tui adjutus robore, de duplici hoste animæ, mundo & demone, duplici laureâ ornatus moriar.*

Floruit  
anno  
1150.

B. GUERRICE, Abbas Igniacensis: quem admirabilis ille Piscator hominum BERNARDUS in captura Leodiensi, inter alios plusquàm triginta, genere & doctrina claros, Tornaco ad Claramvallem adduxit, effigiem in te suam vivis coloribus expressurus. Et ne perita artificis manus erraret, prima lineamenta cœlum duxit, Angelis sub nocturna



sub nocturna psalmodia ad lectionem  
 eunti tibi candidam vestem induere  
 visis. Octavo post probationem anno  
 te sanctus Parens monasterio Ignia-  
 censi, Filia sibi præ cæteris dilectæ, de-  
 dit Patremfamilias. Hic inter se gravi  
 duello certabant honor, & animi de-  
 missio; cum tu opere & sermone refer-  
 res Præsulem omnibus numeris abso-  
 lutum, ac vicissim humilitas se tali of-  
 ficio reputaret inidoneam: neque pa-  
 teretur, ut inter penè continuos mor-  
 borum cruciatus aliquid de consueto  
 Ordinis rigore, aut exhortationum la-  
 bore remitteres. Quas tanta styli sua-  
 vitate profundebas; ut postmodum  
 melliflui Doctoris permixtæ sermoni-  
 bus, pro iisdem habitæ fuerint, donec  
 filiorum tuorum opportuna sedulitas  
 genuinum auctorem prodiderit. Id-  
 ipsum autem impeditum ibat humili-  
 tas. Morti enim proximus, cum excus-  
 sis omnibus conscientia angulis, nihil  
 deprehenderes, quod te gravaret, nisi  
 declamatos à te sermones absq; facul-  
 tate Superiorum Ordinis, publici juris  
 factos: codicem illum afferri, & ignis  
 pabulum esse iussisti. Phœnicem fuisse  
 illa tua scripta dixerim: quæ nempe  
 è suis cineribus, anticipatâ transscripti-  
 on e redempta, modò per omnium pi-

*veste  
candida  
ab An-  
gelo in-  
ditur.*

*Ejus  
humili-  
tatis:*

*doctri-  
na:*

*puri-  
tas cō-  
sciētiæ.*



Inno-  
tia ra-  
ra.

etatis & doctrinæ amantium ora cir-  
cumvolant. Testes post obitum tu-  
um fuere, qui omnia cordis tui arcana  
pernoverant, vix potuisse te innocen-  
torem mori, si te primum à suscepto  
sacro Baptismate momentum rapuif-  
set. *Quoties heu! defleo miseræ conscien-  
tiæ meæ densissimam noctem, & clamo ad  
Dominum, ut illuminet tenebras meas!*  
Tu me in hac obscura sylva cespitantem  
adjuva; præfer cæcipienti divinæ gratiæ  
lumen, quo peccata mea verè agnoscam,  
agnita dignè castigem; neque discussionem  
hanc differam in illam diem magnam, &  
amaram valde, quando omnia cordis ab-  
scondita cum horribili confusione profe-  
rentur in lucem.

Con-  
fessio con-  
scientiæ.

S. BERNARDUS, ser. 3. de Adv.

Confel-  
sio im-  
petrat  
Justifi-  
cationem

*Nihil, quod in se est, Deus à nobis  
exigit amplius; tantum dicamus ini-  
quitates nostras, & justificabit nos  
gratis, ut gratia commendetur. Di-  
ligit enim animam, quæ in conspectu  
ejus & sinè intermissione considerat,  
& sinè dissimulatione dijudicat se-  
metipsam.*



20. Augusti